

**CHARTA SANCTI ANNEMUNDI  
AD LUGDUNENSE SANCTI PETRI MONASTERIUM.**

**BREQUIGNY MONITUM.**

**Charta qua Annemundus**, Lugdunensis præsul, **Lugdunensi Sancti Petri parthenoni dona confert**, **vel collata confirmat**, pugnat cum charta Girarti, **quæ nemini suspecta fuit**. Ergo spurium censemus **instrumentum** quod Annemundo adscribitur. Sic censuerunt autores Novæ Galliae Christianæ, t. IV, col. 283. In hoc autem præcipue pugnant ambo hæc **instrumenta**, quod in charta Girarti monasterium Sancti Petri Lugdunensis ineunte sexto seculo con-

A ditum dicatur, et id testatur recepta in hac Ecclesia traditio; Annemundi vero charta dona memorat collata huic monasterio tribus ante sæculis, per Albertum nobilissimum virum, qui ibi duas filias Deo dicaverat. Inditus Annemundo archiepiscopi titulus suppositio instrumento mirifice congruit.

(*Hanc chartam recudimus inter saeculorum vii et viii ecclesiastica monumenta, tom. LXXXVIII, col. 1164.*)

ANNO DOMINI DCLVI.

**VERUS  
RUTHENENSIS EPISCOPUS.**

**NOTITIA HISTORICA.**

(Ex *Gallia Christiana*, tom. I.)

**Rocensetur hic episcopus a Flodoardo inter alios** Patres qui anno 625 sederunt in concilio Rhemensi. Ad eum exstat epistola sancti Sulpitii, Bituricensis episcopi. Ipse scripsit ad sanctum Desiderium nondum Cadurcensem episcopum, sed tunc Clotarii II thesaurarium. Vide duas ejus epistolæ lib. v Antiquarum Lectionum Canisii. Veri nomen exhibet fragmentum cuiusdam vetustissimi diplomatis, quod Mabillonius conjicit esse privilegium concessum a sancto

B Farone, Meldensem episcopo, coenobio Sanctæ Crucis, nunc Sancti Faronis. In fine autem inter plurimorum presulum subscriptiones legitur: *Verus, licet peccator, Rotenus urbis episcopus, hoc privilegium consentiens subscripsi.* Hoc pretiosum monumentum, nunc asservatum in bibliotheca Sanctæ Genoveæ Paris. edidit Mabill. tom. IV Annal., pag. 752.

**EPISTOLA AD SANCTUM DESIDERIUM CADURCENSEM EPISCOPUM.**

(Vide supra, hujus tom. col. 263.)

ANNO DOMINI DCLIX.

**SS. ELIGIUS ET AUDOENUS  
NOVIOMENSIS ET ROTHOMAGENSIS EPISCOPI.**

**IN SANCTUM ELIGIUM NOTITIA HISTORICA.**

(Gallia Christiana, tom. IX.)

Natus erat S. Eligius in villa Catalacensi apud Lemovicas, Eucherio et Terragia parentibus ingenuis, atque ex longa prosapia Christianis. Erat in urbe Lemovicina Abbo aurifex probatissimus, publicam fiscalis monetæ officinam gubernans. Illic a puero datum Eligius ut tirocinium poneret artis hujus, tandem profecit, ut brevi Clotario regi ob suam in cinnamonis fabricandisque ex gemmis et auro operibus iudeceret. Sic enim in ejus Vita S. Audouenus Rothomagensis antistes lib. I, cap. 5, in Spicil. tom. V: *Factus aurifex peritissimus, atque in omni fabricandi arte doctissimus, inventus gratiam in oculis regis et coram cunctis optimatibus ejus.* Et cap. 9: *Mortuo interea Clotario rege Francorum, Dagober-*

C tus filius monarchiam regni solus obtinuit, a quo Eligius tanta familiaritate habitus est, ut plurimorum ejus felicitas ingens gigneret odium; si quidem oderant eum pravi quique, quoniam magnopere oderat ipse superbiam, diligebat veritatem, etc. Addit cap. 10: *Polebat magis ac magis in vigiliis, in jejuniis, atque in charitate; fabricabat in usum regis utensilia quam plurima ex auro et gemmis.* Fabricavit etiam S. Germani et S. Genovefe apud Parisios, S. Martini apud Turones, SS. Severini, Piatonis, Quintini, Luciani, plurimasque aliorum sanctorum thbecas. In ea vero non tantum arte, sed et in monetaria cum peritissimus integerrimusque juro ac merito haberetur, monetarius et ipse regius factus est

apud Parisios; quod probant multi nummi aurei Lutetiae Parisiorum cusi sub Dagoberto I et Clodoveo II regibus, Eligii nomen preferentes: Artem suam dum exerceret adhuc laicus, sed spectatae vir probitatis, tantaque religionis, ut hereticos indecessu studio insectaretur, monasterium Solemniacense exedificavit in agro Lemovicino, Lutetiae vero parthenonem Sancte Auree cum basilicis S. Martialis episcopi Lemovicensis intra urbem, et S. Pauli extra muros. Fragrabat autem ejus ubique fama in tantum, inquit S. Audioenus, ut si qui ex Romana, vel Italica, aut Gothicâ, vel qualcumque provincia, legationis stôdere, aut alia quaunque ex causa, platum regis Francorum adire pararent, non prius regi occurrerent, quam Eligium aggredierentur. Haec de causa missus est ab ipso rege Dagoberto legatus in Britanniam ad Judicaelem, qui officii sui oblitus, ad monita sancti viri probe resipuit. Ob meritum tandem et sanctimoniam ad insulas Noviomenses assumptus est. Elegerunt, etc. (Reliqua vide infra in Vita S. Eligii a S. Audioeno, lib. II, cap. 2, col. 511, et cap. 5, col. 515.)

Porro ex hoc disputatissimo S. Audioeni loco contendunt multi, negari non posse, Audioenum et Eligium ordinatos esse episcopos anno Christi 646; alii, iidemque doctissimi, nil officere quominus consecrati sint an. 640: cuius controversia discutenda recurret locus in Ecclesia Rothomagensi, ubi agerens de sancto Audioeno. Ceterum Eligius in ipso sui presulatus initio quæsivit ac reperit corpus S. Quintini martyris, quod decenter colloqavit; ipius diocesum Tornacensem adiit, eruditusque Flandros, Antuerpienses, Frisios, Suevos, Contracenses, adjutus a Tillone monacho; deinde adiit translationi SS. Crispini at Crispiniani; mortem Flaocati majoris-domus Bur-

gundie prædicti; et intersuit concilio tertio Cahiersensi. Fundavit etiam monasteria duo, alterum viorum Tornaci, puerile alterum Noviom; Clotarium III regem e sacro fonte suscepit; dedicavit ecclesiam Contracensem; elevavit reliquias SS. Piatonis, Chrysostoli, Euberti, Bavonis et Furssei. Quæ omnia suis characteribus chronologicis distinguere abstinemus, propterea quod derivandi sunt illi ex anno ordinationis ejus, de quo non ita pridem recrudescente visa est controversia. Anno XVI Clodovei II regis subscripsit celebri sancti Dionysii privilegio. Denique post mortem Erchinoaldi majoris-domus, quam prædicterat, obiit ipse pridie Kalend. Decemboris, vel anno 659, si consecratus est anno 640; sepulturamque accepit in ecclesia S. Lupi, quæ nunc intra membra urbis conclusa ejus nomine decoratur. Miraculis propheticisque sancti presulius respondent homilia sexdecim præstantissime, quas habet in Bibliot. Patrum; epistola ad Desiderium Cadurensem, et sermo ad plebem. Calix ejus, sua ipsius opera fabricatus ex auro purissimo, gemmisque per circuitum cuppe in parte exteriori, atque etiam in inferiori parte decoratus, asservatur religiose in sacario monialium Calensium, quibus a Bathilde regina in pignus piae recordationis datum est. Ad sacras quod spectat exuvias, translatæ sunt paulo post a successore suo Munnoleto in aediculam cameratam pone majus altare. Subsecutæ dicuntur postea variis in temporibus varie translationes, unde plurimæ ecclesiæ aliquot sancti presulij reliquias sibi compararunt. Quam supra laudavimus sancti presulius Vitam a sancto Audioeno conscriptam, probat Cointius tom. III pag. 175, quibusdam in locis suis interpolatam depravatamque.

## IN SANCTUM AUDIOENUM NOTITIA HISTORICA.

(Gallia Christiana, tom. XI.)

Presul ille sanctissimus, cui primum nomen Dado, et quaque olim dies festi in ecclesia Rothomagensi, natu erat Sanciaci in Suessionibus, beatis Authorio et Aiga parentibus, fratremque natu maiorem habuit venerabilem Adonem. In aula educatus ab adolescentia sua, ad episopos tandem post gestum aliquandiu sub Dagoberto I et sub Clotario II regibus referendarii munus, erectus est. Quoniam vero anno? ipse nos docet in Vita sancti Eligii, Spicil. tom. V, pag. 194, his verbis: Convenientes igitur in unum (ego scilicet et Eligius) in civitatem Rothomagensem quarto-decimo die mensis tertii, tertio anno Clodovei, iuvenculi adhuc regis, die Dominica ante Litanias . . . . consecrati sumus gratis ab episopis pariter episopci, ego **Adomo**, illæ **Noviom**; Certe ab anno 635, qui, quoquo modo computes annos Dagoberti I, ad regnum ejus pertinet, usque ad annum 648, longe post mortem Clodovei II, Dominica quæ proxime precedit Litanias seu Rogationes, non incidit in dieum 14 mensis Maii nisi anno 646. Ergo, aiunt plurimi, anno Christi 646 currebat annus tertius Clodovei II; ergo die 14 Maii ejusdem anni consecrati sunt episopci et sanctus Eligius Noviomensis, et sanctus Audioenus Rothomag. Verumtamen doctissimi viri post Adrianum Valesium, qui epocham illam cum aliis chronologicis notis conciliare non potuere, aliam computandi viam aggressi sunt. Dagobertus I, inquit, regnavit annis 6 in Austrasia, vivente patre; illi autem sex anni e numero sunt annorum 16 quos in universum regnasse perhibetur; ergo decem dñntaxat restant computandi a morte Clotarii II; ergo obiit anno 658; ergo Clodoveus II eodem anno 658 regnare coepit; ergo annus tertius regni ejus currebat cum anno 640; ergo non anno 646, sed anno 640, Eligius et Audioenus consecrati sunt episopci. Quod si objicitur sanctos presules ex ipso S. Audioeno consecratos esse pridie Idus Maii dominica

Canta Litanias, quæ duo in annum 640 cadere non possunt, respondet Cointius Annal. eccl. t. II, pag. 104 et seqq., Dominicam illam apud S. Audioenum significare non diem consecrationis, sed diem adventus amborum presulum in urbem Rothomagum. Venerunt quidem, inquit, Rothomagum pridie Idus Maii, sed consecrati sunt xii Kalendas Junii, qui revera dies cadebat anno 640, in Dominicam quæ antecedet Litanias. Mabillonius autem, cui solutio illa maxime arridet, quoniam et ipse pugnat pro anno 640, nihil facit veterum Ecclesiam Noviomensis Kalendarii auctoritatem, quod S. Eligii ordinationem rejicit ad diem 14 Maii, ut pote quæ post annos forte centum, imo et ducentos ecclesiæ ejus fastis ascripta fuerit, vultque eos, qui e hanc ordinationem primi Ecclesie sua Kalendariis inscriperunt, ex loco Audioeni, obvio quidem sensu, sed non bene intellecto, eam reposuisse pridie Idus, seu die 14 mensis Maii, que die 21 reponenda erat. (Annal. Benod. t. I, p. 377.)

Promiseramus non semel in superiori volumine, argumentum illud a nobis diligenter inquisitum iri in ecclesia Rothomagensi, ubi ventum esset ad sanctum Audioenum. Sed que jam a Valesio, Cointio, Pagio, Mabillonio et aliis tam eruditæ tractata sunt ne nos iterare dicendo frustra videremur, nihil novi de nostro addituri, candidum lectorem adinonemus, non aliam sere hic chronologiam in iis quæ ad annos regum Francorum prioris dynastie pertinent adhibitum iri ab illa, cui consulte adhæsere novissime historicorum Francorum collectionis auctores.

Oblit sanctus Audioenus ix Kalend. Septemb. post annos 43 regiminis, ex eo auctore qui Vitam ejus scripsit, Fridegodus nonnullus dictus, et ex Orderico Vitali, anno itaque 683, in villa Clippiaco prope Lutetiam Parisiorum, unde corpus ejus relatum est Rothomagum in basilicam seu monasterium sancti Petri,

quod a multis retro saeculis non alio jam, quam ipsius sancti presul nomine appellatur.

Vitam eius scripere auctores duo anonymi, quos habes apud Bellaudicas mense Augusto, tom. IV, pag. 805 et seqq. Ex his porro et quibusdam alectis, quae ibidem collegere doctissimi hagiographi, haec selecta accipe. Benedictus est puerulus a sancto Columbano abbe in domo paterna apud Ussiaco seu Ussiacum villam pagi Brigensis. Nam adhuc in aula versaretur, haeresim Monothelitarum, quae ex Oriente in Gallias prorepserat, fortiter confutavit; simoni et pro viribus adortus est; multum adjuvit Adonem fratrem in fundando Iotrensi diocesis Meldensis monasterio, ei ipse in eadem diocesi fundavit Resbacense an. 634. Electus episcopus non statim consecrari se permisit; sed sacerdos ab episcopo Matisonensi Deodato ordinatus, peregrinationem in Hispaniam suscepit, qua in regione et verbu a Dei disseminare non cessavit, et terram nimia siccitate laborantem crevavit copiosis imatribus a Deo impetratis. In Galia rex lux, factusque, ut iam diximus, anno 640 episcopus, baptizavit Amalbertum filium sancti Geremari; sanctum Vandregisilum primo subdiaconum, deinde diaconum ordinavit; sanctum Geremarum ad presbyteros evexit; interfuit concilio in Calabonensi; sanctum Filibertum abbatem Geneticensem deceptus ab Ebroino tyranno ac falsis testibus mancipavit carceri, quicunque postea, agnito suo errore, reconciliatus est amicitiamque renovavit; cumdem sanctum abbatem ac sanctum Vandregisilum invicem dissidentes ad concordiam reduxit; reliquias sancti Mareulli transtulit, ea nobertum ab immidente cæde liberavit, et ab Ebroino latam adversus eum mortis sententiam in exsilium commutavit. Subscriptis privilegio Chlodovei regis pro sancto Dionysio anno 633, privilegio Einmonis Senonensis archiepiscopi pro monasteriis S. Columbae et S. Petri Vivi 658, privilegio Bertefridi Ambianensis episcopi pro Corbeia 663, et privilegio Drausii Suesionensis episcopi pro parthenone B. Marie 666. Praesens fuit morti S. Vandregisili anno 667. Circa id tempus S. Angadrismam postea Oratori abbatissam velavit. Childerici funus curavit an. 673. Insigne privilegium a Theoderico III rege obtinuit; Gislemarum patris suo insidiante redarguit fortiter, eique viudiciam divinam postea secuta et praeservit: Waningo illuspi ac potenti viro persuasit, ut monasterium Fiscainense fundaret; fulgentem vidit in aere crucem eo loci, ubi postea constructionem est monasterium, primo Crux sancti Audoeni, deinde Crux sancti Lupredi dictum; alia ipse monasteria, ecclesiisque plurimas et xeno-

A dochia vel fundavit, vel sategit ut fundarentur. Romanum perrexit ad limina apostolorum salutandæ. Redux in diocesim suam, pacem inter Austrasios et Neuprasios compouere aggressus, Coloniam pejuit, unde ad suos iterum rediens, pie obdormivit in Domino apud villam Clippiacum, ix Kalendas Septembbris, anno, ut jam dictum est, 683, multis et ante et post obitum clarus miraculis. Quæ fere omnia hic promiscue recensita, suis in decursu hujus voluminis, quantum fieri poterit, chronologicis notis distinguere tentabimus.

Corpus sancti pontificis relatum in urbem suam, conditum est in basilica sancti Petri, quæ nunc suo nomine sancti Audoeni dicitur, in loco quem ipse præparaverat; sed post annos tres et mensas novem translatum est a sancto Ansherto successore suo in locum editiorem ejusdem basilice ad orientalem plagam altaris sancti Petri apostoli, ubi 165, [forte 185] annis requievit; tum Norimbergiæ metu asportatum est primo Vadiniacum, deinde varia in loca, ac demum in Vallem monachorum diocesis Trevirensis; sed Rothomagum paulo post baptizatum Holonem, in basilicam sui nominis relatum, et a Richardo I duce ornatissimo feretro donatum decimo scapo. Media fere undecimo, dum nova basilica illius fabrica erigebatur, per provincias circumiectum est ad colligendas fidelium in hoc opus elemosynas. Verum anno 1162, impii Calvinistarum et monasterium expoliarunt, et corpus sancti presulis cum plenisque sanctorum aliiorum exuvia igne consumpserunt. Superstat tamen nonnullæ Rothomagensis antistititis, quæ vel sacrilegas hagiomachorum illorum manus evaserunt, vel antea variis ecclesiis donatae fuerant reliquiae. Paucis post ejus obitum annis monasteria ejus in honorem construxere Herlemonius Canonicus et Leutfredus.

De Vita sancti Eligii, quam scripsit sanctus Audoeus, diximus supra tom. IX in ipso sancto Eligio; dixerimus fuisus sojales nostri in Historia literaria Francie tom. III, pag. 626 et seqq. Scripsisse adhuc crederetur sanctissimum presul Vitam sancti Remigii, quam apud Helvetios in abbatia sancti Galli assertari dicunt. Preterea epistolam, quam scripsit ad sanctum Desiderium Cadurcensem episcopum, habes apud Canarium tom. V Antiq. Lectionum, pag. 512; sed merito illi adjudicantur ab eruditis, et tres illi versus de SS. Medardo et Gildardo, quos Sammarthani in ipso sancto Gildardo transcripsere, et ridicula quedam de anima Dagoberti regis charta, de qua monachus Sandionysianus apud Quercetanum tom. I, et Aiquinus lib. IV, cap. 54.

## S. ELIGII EPISCOPI NOVIOMENSIS

### VITA

A SANCTO AUDOENO ROTHOMAGENSI EPISCOPO SCRIPTA.

[Ex Spicilegio Acherii.]

### MONITUM

IN VITAM SANCTI ELIGII.

Sancti Eligii Noviomensis episcopi Vitam, nullis immutatis, sed primigenia pharsi servata, prout nimirum eam conscripsit S. Audoeus, si nonnulla, que ipsum Audouenii spectant, ab amanuensi addita exceperis, exoptarunt, meque ut eam emitterem frequenter et anxie interpellarunt viri docti, iisque amici bene multi. Tandem abhinc duodecim annis descripsam e vetusto codice Corbeiensis bibliothecæ, et ad

Conchensis monasterii ms. collatam edidi. Eam duos in libros dispartitam voluit auctor, alter quadraginta capita, octoginta alter complectitur.

Hæc quidem Acherius, quem miramus ita indiligenter in lectione ejus Vitæ versatum esse, ut in ea interpolatorum audaciam ac temeritatem non reprehenderet. Hæc eniun eos tantum latere potest, qui aut nihil ad examen reducunt, aut nihil vident. No-